

*Venit Filius hominis
quærere et salvum facere quod perierat.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

19, 1-10

In illo témpore:

- ¹ Ingréssus Iesus perambulábat Iéricho.
- ² Et ecce vir nómine Zacchæus,
et hic erat princeps publicanórum et ipse dives.
- ³ Et quærébat vidére Iesum quis esset,
et non póterat præ turba,
quia statúra pusíllus erat.
- ⁴ Et præcúrrens ascéndit in árborem sycómorum,
ut vidéret illum,
quia inde erat transitúrus.
- ⁵ Et cum venísset ad locum,
suspíciens Iesus dixit ad eum:
«Zacchæe, festínans descénde,
nam hódie in domo tua opórtet me manére».
- ⁶ Et festínans descéndit et excépit illum gaudens.
- ⁷ Et cum vidérent, omnes murmurábant dicétes:
«Ad hóminem peccatórem divértit!».
- ⁸ Stans autem Zacchæus dixit ad Dóminum:
«Ecce dimídiu bonórum meórum,
Dómine, do paupéribus
et, si quid áliquem defraudávi,
reddo quádruplum».
- ⁹ Ait autem Iesus ad eum:
«Hódie salus dómui huic facta est,
eo quod et ipse fílius sit Abrahæ;
- ¹⁰ venit enim Fílius hóminis
quærere et salvum fácere,
quod perierat». — Verbum Dómini.